a fletu incipit uiuere. Ridere nondum nouit, quare plorare iam no-
uit. Coepit ire in ista uita. sed si de illis captiuis est, hic flet et ge-
mit. Sed ueniet gaudium. Sequitur enim.
Qui seminant in lacrimis in gaudio metent.
In ista uita quae plena est lacrimis seminemus. Quid seminamus?
opera bona. opera misericordiae semina nostra. De quib(us) semi-
nib(us) ait apostolus. Bonum autem facientes non deficiamus; tem-
pore enim proprio metemus infatigabiles. Itaq(ue) dum tempus
habemus operemur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei.
Loquens itaq(ue) de ipsis aelemosynis. quid ait. Hoc autem qui
parce seminat parce et metet. Ergo qui multum seminat mul-
tum metet. qui parce seminat parce metet. qui nihil seminat ni-
hil metet. Quare desideratis latos fundos ubi multa semina semi-
netis. Latior uobis non est ubi seminetis quam xps qui in se uoluit se-
minari. Terra uestra ecclesia est. seminate quantum potestis.
Sed parum habes unde facias. habes uoluntatem. Quomodo ni-
hil esset quod habes si non adesset bona uoluntas. Sic et quia non
habes noli esse tristis. si est tibi bona uoluntas. Quid enim semi-
nas? misericordiam. et quid metes? pacem. Numquid autem
dixerunt angeli: Pax in terra diuitib(us) hominib(us). Sed pax in terra
hominib(us) bonae uoluntatis. In uidua magna uoluntas, in Zac-
cheo caritas magna. Suscepit d(omi)n(u)m hospitio. gaudens suscepit
et dimidium patrimonii sui pauperib(us) promisit sed a furto
et cui aliquid abstulerat quadruplum redditurum, ut intelle-
gas propterea sibi eum tenuisse dimidium, non ut haberet quod